

penetrant. Omnibus accessibiles, paucissimis penetrabiles, magnos alunt, parvulos lactant, dicit S. Augustinus. Veritatem, quae nuda homines offenderet, quasi contegunt, aptamque ad animos alliciendos reddunt. Animus tamen obcaecatus et veritati adversus parabolas non intelligit. Similes sunt columnae nubis, populo electo lucem, inimicis veritatis tenebras offundenti. Judaeos incredulos verus parabolarum sensus saepe fugit, quo profanatio a doctrina Christi, ab ipso autem persecutio avertebatur. Nonnullas parabolas ne ipsi discipuli quidem propter suam tarditatem et opiniones praejudicatas intellexerunt; ideo Jesus eas illis explicavit, e. g. parabolam de seminante et de zizaniis. Parabolae autem propheticae non nisi post impletionem, interpretibus ipsis eventibus, claruerunt. Ceterum natura parabolarum apud omnes evangelistas similis est, unde apparet, eas diversa evangelistarum mente atque elocutione mutatas et nova specie indutas non esse.

Parabolae perfectae in evangeliis sunt sequentes.

1. Seminans. Matth. 13, 1—23. Marc. 4, 1—20. Luc. 8, 4—15.
2. Zizania. Matth. 13, 24—30. 36—43.
3. Operarii in vineam missi. Matth. 20, 1—16.
4. Vinitores homicidae. Matth. 21, 33—43. 45. Marc. 12, 1—9.
12. Luc. 20, 9—16. 19.
5. Coena recusata et vestis nuptialis. Matth. 22, 1—14. Luc. 14, 15—24.
6. Filius prodigus. Luc. 15, 11—32.
7. Duo filii. Matth. 21, 28—32.
8. Ficus sterilis. Luc. 13, 6—9.
9. Talenta seu mnae. Matth. 25, 14—30. Luc. 19, 11—27.
10. Phariseus et publicanus. Luc. 18, 9—14.
11. Villicus iniquus. Luc. 16, 1—13.
12. Dives insipiens. Luc. 12, 16—21.
13. Dives et Lazarus. Luc. 16, 19—31.
14. Samaritanus misericors. Luc. 10, 30—37.
15. Servus immisericors. Matth. 18, 21—35. Luc. 17, 3. 4.
16. Virgines prudentes et fatuae. Matth. 25, 1—13.
17. Vidua importuna. Luc. 18, 1—8.

Caveat interpres, ne parabolam et comparisonem confundat. Comparatio enim est tum descriptiva tum narrativa, parabola semper est narrativa etquidem e vita humana deprompta. Comparatio est aperta, parabola semiclausa, cujus sensus etiamsi indicetur, non statim patet, sed non nisi ingenii acumine eruitur. In comparatione imago est imitatio ac representatio sensus con-

spicua; in parabola doctrina ex imagine tamquam intelligibile et universale e sensibili abstrahitur. Parabola medium tenet inter comparisonem et exemplum.

3. — *Allegoria* est imago orationis seu comparatio clausa, quae formam habet descriptionis vel narrationis plerumque possibilis sed non verisimilis, ex natura animata vel inanimata sumptae. Docente Quintiliano in allegoria subjectum rhetoricum tropicum multis praedicatis tropicis ornatur, ita ut in tota oratione nihil (aut fere nihil) sit sensu proprio acceptum. Subjectum allegoriae est metaphora (raro metonymia vel synecdoche), quae praedicatis illis tropicis additis efficitur descriptio vel narratio. Hinc allegoria est *descriptiva* vel *narrativa*. Titulum et nomen allegoria a subjecto imaginis accipit.

In allegoria congruentia imaginis et sensus est perfecta. Partes imaginis respondent partibus sensus. Duo sunt subjecta: unum imaginis, alterum sensus; ad quae duae series praedicatorum respiciunt: una praedicatorum imaginis, altera praedicatorum sensus. Tamen nec subjectum, nec praedicata sensus verbis efferuntur, sed tantum animo observantur. Omnes partes imaginis sunt significativae; nullae partes accidentales, quae mera ornamenta sint. Saltem res ita se habet in *allegoria pura*; allegoria enim potest esse *mixta*, in qua vocibus et sententiis translatis voces vel sententiae sensu proprio acceptae aut vero meri ornatus immiscentur. Allegoriae purae nisi apud poetas, frequentes non sunt. Allegoriae biblicae plerumque sunt mixtae et saepe in contextu saltem remoto solvuntur, itaque haud multum differunt a parabolis.

In historia exegesis allegoria saepe sensu lato omnem sermonem vel sensum tropicum, imo etiam typum sive sensum spirituales significat.

Cavendum est, ne allegoria pro aliis tropi speciebus habeatur, vel haec pro illa putentur. Specialiter *a)* allegoria a metaphora amplificata hoc differt, quod haec subjectum habet sensu proprio acceptum, allegoriae vero subjectum tropus est. *b)* Inter allegoriam et comparisonem id maxime interest, quod comparatio est aperta, allegoria clausa. *c)* Saepe allegoria permutatur cum parabola, quum tamen inter se differant sequentibus: *α)* Parabola plus minus aperta est, allegoria vera et perfecta semper est clausa (saltem intra limites tropi). In parabola saltem subjectum sensus verum indicatur, in allegoria non. *β)* Parabolae finis semper est doctrina; allegoria potius animum movere vel delectare intendit. *γ)* Parabola accidentia et ornamenta habet sensu translato carentia; allegoriae

partes omnes sensum translatum continent. δ) Parabola semper est narrativa, allegoria tum descriptiva est, tum narrativa. ε) Parabola saepe non est mera imago sed simul exemplum, ex quo doctrina abstrahitur; allegoria imago est rei significatae, quae illi comparatur.

Exempla allegoriae.

Ode Horatii: O navis (respublica), referent in mare (pericula) te novi fluctus (bella civilia); o quid agis? fortiter occupa portum (pacem) etc.

Navicula Petri tempestate jactatur. Fluctus consurgunt, fulmina cadunt, undae tumidae imminet. Sed in navi est Christus, qui periculo ingravescente surgit, tempestatem quiescere jubet, et fit tranquillitas magna. (Sors ecclesiae.)

S. Scriptura Ant. et Novi Test. multa exempla praebet allegoriae magis aut minus perfectae plerumque prolixae. In hoc genere excellunt prophetae, sed maxime Christus Dominus.

Praecipuae allegoriae sunt sequentes:

In Antiquo Testamento.

Vinea devastata, Ps. 79, 9—16.

Canticum canticorum totum, quod sub imagine amoris Salomonis et sponsae amorem Dei erga populum Israel et ecclesiam canit.

Vinea sterilis, Isai. 5, 1—7. Significat populum Israel, a Deo tantis beneficiis cumulatum, et tamen ingratum, vitiisque deditum. Vers. 7° solvitur.

Virga et flos Jesse pacis et iudicii auctor. Isai. c. 11. Sensus proprius translato immixtus.

Sarmentum vitis inutile, Ez. 15, 1—8.

Meretrix Jerusalem. Ez. 16, 1—63.

Duae aquilae et ramus cedri. Ez. 17, 2—24.

Mali pastores Israel. Ez. c. 34. (Potest etiam metaphora amplificata haberi.)

Vitis a locustis vastata. Joel. c. 1. (Allegoria imperfecta vel metaphora amplificata.)

Deinde in Novo Testamento:

Jam securis ad radicem arborum posita est; omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. Matth. 3, 10. cf. Luc. 3, 9. (Judicium divinum instat.)

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosus erit. Si ergo lumen, quod

in te est, tenebrae sunt, ipsae tenebrae quantae erunt?! Matth. 6, 22. 23. (Vita moralis a recta mente dependet.)

Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes (quod attinet), hic factus est in caput anguli... Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur, super quem vero ceciderit, conteret eum. Matth. 21, 42. 44. (Regnum Dei conteret inimicos suos.)

Ovis perdita (Matth. 18, 12—14.) est allegoria in forma interrogationis proposita et soluta. (Potest etiam comparatio haberi.) — Angusta porta (Luc. 13, 23—30.) est allegoria soluta et applicata. — Drachma perdita (Luc. 15, 8—10.) est allegoria soluta, vel comparatio. — Parabola quoque de seminante est similis allegoriae solutae.

Allegoriae etiam in poësi profana omnium gentium antiqua et moderna satis frequenter inveniuntur.¹

4. — *Fabula* est imago orationis clausa, quae per narrationem fictam, e natura irrationali (imprimis animali), humano cogitandi et agendi modo induta sumptam, impossibilem sed agentium indoli convenientem, aliquam veritatem moralem repraesentat. Nonnunquam etiam apologus vocatur. Sensus moralis ex fabula meditando abstrahitur, imo extra ambitum fabulae plerumque breviter explicatur.

Notum est ab Aesopo (cujus fabulas Julius Phaedrus collegit), Lafontaine et Fénelon fabulas praestantes scriptas esse. Gravitas autem ac majestas revelationis fabulas vix admittit; ideo in S. Scriptura fabulae rarissime occurrunt; quae autem adsunt, ex natura vegetabili depromuntur, et tum dicta aliena citata, tum comparationes magis quam fabulae sunt.

Fabulae biblicae: Arbores regem eligentes, Judic. 9, 8—15. Carduus filiam cedri sibi uxorem poscens, IV. Reg. 14, 9. et II. Paral. 25, 18. Comparatio membrorum corporis I. Cor. 12, 14—27. similis est fabulae.

§ 48.

Tropi objectivi.

1. — Inter tropos objectivos frequentissima est *metonymia* (= transnominatio, permutatio nominis vel potius relationis). Est autem metonymia permutatio idearum causalitatis vel objectivae propinquitatis (relationis externae) vinculo conjunctarum. Dicitur

¹ Apud poëtas Hungaros: Petöfi, A ledölt szobor (est perfectissima allegoria soluta), Vörösmarty, Az élő szobor (non soluta), Tompa, A madár fiaihoz (non soluta), Arany, A poloska.

etiam tropus relationis (per excellentiam). Constare solet ex una voce vel phrasi; vix unquam in propositionem vel longiorem orationem extenditur. Sicut relationes, quibus metonymia nititur, ita ipsa metonymia octuplex esse potest.

a) *Metonymia signi* seu signum pro signato et versa vice, — oritur e causa logica et effectu logico inter se permutatis.

E. g. corona, sceptrum, solium (regnum), gladius (potestas), laurea (victoria), ramus olivae (pax), toga (pax), sagum (bellum), aquilae Romanae (legiones), cornu (robur), rugitus (minae), flere (dolere), lacrimas fundere (flere), genuflectere (adorare), terga vertere (contemnere, etiam fugere et relinquere), manus lavare (innocentiam asserere).

b) *Metonymia causae* seu causa pro effectu et vicissim — est permutatio causae efficientis cum effectu vel auctoris cum opere.

V. g. Cicero (opera ejus), Musae (studia, artes), anima (vita), lux (candela, lucerna), ira (vindicta, poena), coecus (coecum faciens) amor, pallida (pallidum reddens) mors, sanguinem fundere (occidere), videre (scire). Mors (ejus causa) est in gladio. Laborem manuum (fructum) manducabis. Proponere benedictionem et maledictionem (legem earum fontem).

c) *Metonymia materiae* seu materia pro materiato et vicissim, — efficitur permutatione materiae (causae materialis) cum re ex ea facta.

E. g. ferrum (vinculum, gladius), lignum (crux), aurum, argentum, aes (pecunia), alabastrum (amphora olearia), vitrum (lagena), purpura (vestis regia).

d) *Metonymia instrumenti* idest instrumentum pro opere et opus pro instrumento dictum, — oritur ex permutatione instrumenti (causae instrumentalis) et operis, rarius causae principalis et instrumenti.

E. g. gladius (potestas, imperium, bellum), calamus, penna, stylus (ars scribendi), penicillus (ars pictoria), scalprum (ars sculptoria), cornu (potentia), jugum (servitus), clavis (potestas portam aperiendi), seducere (in peccatum ducere), arma capere, gladium stringere (pugnare), funes ceciderunt (haereditas dimensa est).

e) *Metonymia contenti* seu contentum pro continente et vice versa — vocatur permutatio eorum, quorum unum alterum spatio vel tempore comprehendit.

E. g. Coelum (Deus), mundus, terra (homines), urbs (incolae), Italia (Itali), flumina (accolae), montes et colles (incolae), saeculum,

aetas (homines tunc viventes), posteriora saecula (posteri), generatim res pro tempore, quo fit et vice versa, evangelium ut liber (evangelium ut doctrina), foedus, testamentum (libri sacri), corpus (cupiditates), corda et renes (cogitationes et desideria), calicem bibere (est metonymia metaphorae: calicem = potum = sortem experiri), vivere (voluptatibus frui); bis frugibus area trita est (jam biennium est).

Sive huc, sive in ordinem sequentem referri potest illud metonymiae genus, quod qualitatem vel aliam proprietatem pro substantia dicit aut e contrario (comprehensio ontologica). E. g. virtutes (homines virtute praediti), levitas (homo levis) non curat futura.

f) *Metonymia abstracti*, idest abstractum pro concreto aut vice versa, — efficitur permutatione ideae abstractae cum re concreta.

E. g. magistratus (magistri), majestas (augustus), claritas, illustritas, sanctitas vestra (tu clarissime, illustrissime, sanctissime), officium (officiales), circumcisio (circumcisi, Judaei), praeputium (gentiles), providentia (Deus providus), bonum (bonitas), spes (agricola sperans) sulcis credit aratis semina. — Praecipue in S. Scriptura talis metonymia ob penuriam adjectivorum Hebraicorum est frequentissima.

g) *Metonymia antecedentis* seu antecedens pro consequente vel e contrario — vocatur permutatio antecedentis et consequentis.

E. g. aurora (dies), vale dicere (abire), accumbere mensam, epulis (caenare), sepelire (occidere), rogos effugere (immortalem esse), lumbos praecingere (se ad laborem vel pugnam praeparare).

h) *Metonymia possessi*, idest possessor pro possesso et vice versa, — est permutatio possessoris (personae vel rei) cum re possessa.

E. g. reges, duces (eorum exercitus) pugnant vel vincunt, potentia, sapientia divina (Deus ipse), meritum (bene merens) praemium accipit, proximus ardet Ucalegon (ejus domus), amici eum (bona ejus) devorarunt.

2. — *Synecdoche* (comprehensio, simul intellectio) est permutatio idearum, inter quas vel quarum objecta relatio totius et partis intercedit. Vocatur etiam tropus partis. Totum autem et pars quae permutantur, sunt tum physica tum logica. Ita dicitur

a) *Pars pro toto* (physico) et totum (physicum) pro parte.

E. g. frons (vultus), terra (regnum), mundus (terra), sabbatum (hebdomas), caro (corpus), anima, corpus (homo), Jerusalem, filia Sion (populus vel regnum Judaeorum), multum (omne), omne (multum),

mucro (gladius), fluctus (mare), pax (omne bonum) tibi, montes et colles (regio).

b) *Species pro genere* et vicissim; individuum pro specie et vice versa; vel universe idea angustior pro latiore vel e contrario. Praesertim frequenter usurpatur nomen proprium pro appellativo et vicissim.

E. g. urbs (Roma), vivens (homo), artifex (pictor), fures et fornicatores (peccatores), panis (cibus), intrare et exire (vivere, conversari), aliquem in faciem caedere (offendere, ignominia afficere); sancti Pauli, Augustini (ecclesiae lumina), Cicero (orator), Scipiones (belliduces), Pilati (veritatis condemnatores), magnus Maecenas, Nestor, pharao (scilicet ille Israelitas affligens vel persequens: Ramses II. vel Menoptah II.).

c) *Unum attributum peculiare pro subjecto* multis attributis praedito, cui illud *soli* convenit.

V. g. creator, dominus exercituum (Deus), redemptor, salvator hominum (Christus).

d) *Numerus singularis pro plurali* et vice versa.

E. g. homo et animal (homines et animalia), Romanus (Romani), gutta (guttae) cavat lapidem.

e) *Numerus definitus pro indefinito* et e contrario.

E. g. centum, sexcenti, mille (multi), infinitum (permultum).

3. — *Antonomasia* (pronominalio) seu per excellentiam *καὶ ἔξοχόν* dictum est tropus, qui pro nomine proprio individui in suo genere clarissimi vel notissimi, attributum patronymicum vel nomen speciei appellativum, ei *peculiariter* conveniens dicit, illudque articulo determinatum ad individuum restringit. (Si lingua articulum habet.) Antonomasia revera est synecdochae similis, immo ejus species (species pro individuo, attributum pro subjecto).

E. g. eversor Carthaginis (Scipio), poëta (Horatius), philosophus (Aristoteles), psalmista, psalter regius (David), Dominus (Christus), Messias, *ὁ χριστός, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου* (Jesus Christus), apostolus gentium (Paulus), discipulus dilectus (Joannes), apostolus Hungarorum, Germanorum (S. Stephanus, S. Bonifacius), Corsus (Napoleon I.). Job, Isaias et Mišnâ solem calorem *לַחֲמֵי הַיּוֹם*, Salomo et Isaias lunam albam *לְבַנֵּי הַלְּבָנִים* per antonomasiam dicunt.

§ 49.

Tropi mixti.

Per tropos mixtos intelligimus quaedam orationis biblicae genera, quae plus minusve tropica sunt, et in quibus modo imaginum, modo troporum objectivorum ratio praevalet. Non ergo alienum est inter tropos de iis agere.

1. — *Gnoma* (*γνώμη*), quae in S. Scriptura saepe parabola vocatur, est sententia ingeniosa et fecunda, experientia probata, forma imaginis, casus particularis aut regulae generalis enuntiata. Ingeniosa est, quia non sine ingenii acie invenitur atque intelligitur; fecunda, idest paucis verbis multum dicens, ad multas res pertinens et ad se meditandam applicandamque excitans, quasi multarum idearum ac veritatum ferax.

Gnoma duplicem habet speciem: similitudinis (metaphorae) et synecdoches. Prior veritatem similitudine aperta vel clausa, aut casum particularem alio casu simili exprimit; posterior casum singularem per regulam universalem, aut regulam per casum significat. (Simile pro simili, casus pro casu; singulare per generale, generale per singulare.) Gnoma, quae per simile enuntiatur, in casus similes applicanda est; gnoma formam regulae habens ad casum restringenda; gnoma regulam casu singulari exprimens in omnes casus ejusdem generis extendenda.

Gnomae in Bibliis saepe hyperbolicae sunt, i. e. plus sonant, quam valent, aut plus valent, quam sonant; ideo sensus earum modo restringendus, modo extendendus est, quod res ipsa, experientia, contextus (loci paralleli), aut occasio et finis sermonis docent. Praeterea gnomae plerumque formam parallelismi habent. Gnomae vulgi sermone tritae, ejusque ingenium ac mores referentes vocantur proverbialia. (Közmondás, Sprüchwort.)

In antiquo testamento Salomon rex praeclaras dixit gnomas (parabolas), quas tamen superant gnomae Salvatoris in evangeliiis. Liber Proverbiorum et Ecclesiasticus sunt thesauri gnomarum. Etiam Ecclesiastes et Liber Sapientiae plurimas gnomas continent. Praeterea per totam Scripturam et Ant. et Novi Test. multae gnomae dispersae inveniuntur; nec proverbialia vulgaria desunt.

Exempla gnomae.

Omnes dies pauperis mali, segura mens quasi jube convivium. (Prov. 15, 15.) Flagellum equo et camus asino, et virga in dorso imprudentium. (Prov. 26, 3.) Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor

tuum. (Matth. 6, 21.) Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum coelorum. (Matth. 19, 24.) Modicum fermentum totam massam corrumpit. (Gal. 5, 9.) — Deinde Prov. 19, 4. 25, 3. 4. 11. 13. 21. 22. 26, 1. 11. Matth. 6, 24. 7, 3. 17. 15, 11. 23, 24. 24, 28. Luc. 16, 15. Joan. 4, 37.

Proverbia vulgaria:

Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt. (Jer. 31, 29. cf. Ez. 18, 2.) Medice cura teipsum. (Luc. 4, 23.)

2. — *Exemplum morale* (paradigma), in S. Scriptura est tropus plerumque apertus, qui veritatem seu regulam moralem per unum vel plures casus concretos possibiles aut veros enuntiat. Dupliciter ex exemplo concluditur: tum analogia tum inductione; scilicet tum illud in casus similes applicando, tum e casibus allatis regulam generalem colligendo. Argumentum ducitur aut a pari ad par, aut a minore ad majus, aut a majore ad minus.

Exemplum differt a parabola eo, quod in hac similitudo, in illo inductio praevallet; parabola magis imago est rei significatae, exemplum autem magis permutatio est casus cum casu vel casus cum regula. Deinde parabola narratio est, exemplum brevis mentio qualitatis, status aut eventus. Complures tamen tropi biblici medium tenent inter exemplum et alia troporum genera.

Exempla.

Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti: et ecce totum repleverant urticae et operuerant superficiem ejus spinae, et maceria lapidum destructa erat. Quod cum vidissem, posui in corde meo, et exemplo didici disciplinam. Parum inquam dormies, modicum dormitabis, paucillum manus conseres, ut quiescas; et veniet tibi quasi cursor egestas, et mendicitas quasi vir armatus. Prov. 24, 30—33.

Ne solliciti sitis animae vestrae . . . Respicite volatilia coeli . . . Pater vester coelestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri . . . Si foenum agri . . . Deus sic vestit, quanto magis vos? Matth. 6, 25—34.

Exempli instar Christus Dominus provocat ad reginam Sabae (Austri) et Ninivitas (Luc. 11, 31. sq.); alibi ad eos, quos turris in Siloë oppresserat (Luc. 13, 4.) et ad arborem ficu florescentem. (Matth. 24, 32.) Exempla adducit Dominus Matth. 5, 29. 39. 41. Coacervatio exemplorum invenitur Hebr. c. 11.

3. — *Emphasis* est incrementum, quod ad vim vocis ordinariam accedit, et efficit, ut vocabulum, phrasis aut sententia aliquo loco plus valeat, quam per se significat, imo etiam id

exprimat, quod aperte non dicit, cujus plane contrarium dicit. Emphasis ergo sensum verborum quantitative, nonnunquam etiam qualitative mutat. In viva voce emphasis sono ac vultu significatur; in sermone scripto emphasis rei natura, contextus, conditio imprimis affectio animi loquentis vel adjuncta manifestant.

Emphasi similis est *sententia praegnans*, quae est quasi sententia emphatica seu dictum paucis verbis multum exprimens.

Exempla. Emphases: Ex. 3, 14. I. Reg. 26, 15. III. Reg. 2, 2. Matth. 9, 5. Luc. 22, 48. Joan. 13, 6. 20, 16. Rom. 6, 17. — Sententiae praegnantes: Ex. 3, 14. Joan. 20, 28. — Emphasis constans ejusdem vocis in Bibliis non adest. Si vocabulum vel phrasis vim semper auctam haberet, non emphasis esset, sed mutata significatio.

4. — *Aenigma* est definitio per notas insufficientes vel accidentales vel per similitudinem, aut vero imago imperfecta et obscura, cujus sensus intentus non nisi ingenii acumine deprehendi potest. Sensus plerumque nimis latus conditione loquentis et circumstantiis determinatur.

Aenigma in S. Scriptura rarum est. Exempla: Judic. 14, 14. 18. Matth. 15, 11. 15.

5. — *Ironia* (dissimulatio, illusio) est illa locutio, qua aut contrarium dicitur ejus, quod cogitatur (permutatio contrariorum), aut ad ea, quorum aliquem pudet, verbis aequivocis alluditur.¹ Ironia potest una voce vel phrasi contineri aut in totam sententiam, imo orationem extendi. Ironia acerba et odiosa vocatur *sarcasmus*.

Exempla ironiae: O praeclarum custodem ovium lupum! O sanctas gentes (Aegyptios), quibus nascuntur in hortis numina! Deinde Gen. 3, 22. Thren. 2, 15. Joan. 3, 10. 10, 32. I. Cor. 4, 8. sqq. Sarcasmi sunt: Matth. 27, 40. Luc. 23, 39.

6. — *Hyperbole* seu exaggeratio (epitasis) est vox vel sententia rem ultra veritatis limites augens vel minuens, ita tamen, ut verus sensus e contextu vel ex adjunctis appareat.² Hyperbole orientalibus valde familiaris est. Duas habet species: *auxesim* et *meiosim seu tapeinosim*. Auxesis modo plus, quam verum est, dicit, modo justo universaliter loquitur, modo absolute dicit, quod sub certa conditione verum est. Meiosis modo minus, quam intendit,

¹ Aperta vitii exprobratio vel dedecoris manifestatio non ironia est, sed contumelia.

² Hyperbole mentitur, nec ita ut mendacio fallere velit, — ait Quintilianus.